



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

Cum ostenta in cœlo apparent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

*fuertis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit. Expectatis ut vos percuciat virgâ sicut Moyſes petram, ut sic tandem fluant aquæ lacrymarum Exod. 17. Percutiet & confringet ossa vestra, percutiet ut Pharaonem & in mari demerget. Non fecit Jerosolyma Prophetis monentibus quod fecit Ninivus & periit. Vertetur hæc vobis in serpentem virga, sicut verba est virga Moyſis Pharaoni. Occidistis, sanguinem effudistis, sanguis de manu vestra exquiritur. O poenitentes percucimini virgâ Episcopi Jer. 5. Percussisti eos & non doluerunt, attrivisti eos & noluerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Sicut Balſazar eſſi videret scribi, Mane Theſel, Phares. Peribunt sicut Balſazar, non restitucitis DEO quæ abstulistis ipse sibi de vobis, de vita vestra, de substantia vestra, restituet. Convertimini ad Dominum DEUM vestrum.*

Cùm ostenta in cœlo apparent, v. g.

Cometa.

**I**AM de cœlo nobis DEUS concionatur, non verbis, sed signis, hic possum dicere. *Qui habet aures audiendi audiat.* Explicabo hæc voces.

Non semper damni signa sunt Cometa. Apparuit instar Cometæ, stella cum Christus nasceretur. Tempore Augusti Imp. ut scribit Sueton. fuit insignis Cometa, & accepit ex consilio sapientum illum in omen fortunæ, & secuta est pax universalis. Idem scribit Festus, nam Cometa ex se cur potius mala prænuntiet? sunt alia signa in aère quæ clariùs prænuntiant mala, circa annum 1610. ignes in aère & columnæ mala belli prædixerunt, venti insoliti, diluvia, afferunt, non solum



solùm significant mala, cur non ita sunt terrori ut Cometa? quia causa eorum scitur. Causa Cometæ in aëre est vapor terreus accensus. Cometæ qui est in cœlo alicujus Planetæ, est fumus ejusdem planetæ in nubem coactus, per quem transiit radius solaris, & sicut in densiore apparet. (vide meam Meteorologiam) Si ergo est inferior Cometa, materia illius prius fuit in terra, & si tunc non nocet, multò minùs ita elevata nocebit. Superioris Cometæ est materia eadem quæ Planetæ, itaque nihil diversum à suo Planeta efficit. Præterea, inferior ardet, omne verò venenum ignis absorbit, si verò esset fumi magis cum ardet, itque nocivi, utique eos videremus de die. Si pars materiæ noxiæ in terra manet, certè pars major abiit in altum. Tamen Cometa ut à DEO assumitur, potest varia significare, nam DEUS nihil frustra fecit; Solem & lunam non solùm ad ornatum, sed etiam *in signa & in tempora fecit*, ut sint ejus beneficentiæ signa, unde Psal. *Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum & quidem adeò, ut dixerit. Non sunt loquela neque sermones eorum, quorum non audiuntur voces eorum.* Et quidem non per voces sed per signa loquuntur ut ab omnibus intelligantur, & si quotidiani Planetæ sic loquuntur, quid Cometæ rari? Eclipsis terre, quid novæ stellæ? certe aliquid insoliti, ante pœnam solet DEUS præmonere.

Nos advertimus quòd in nobis sint multa digna pœnâ, quomodo non timebimus? Creatura est pro Creatura. *Pugnabit pro co orbis terrarum contra insensatos*, quæ modò ad illius amorem ducit, docet ut Magistra, postea punit, & hoc cæleste flagrum est vehementius quovis terrestri. A nobis tamen fumi prodierunt ex quibus ignes in aëre, & alta ostenta constant. Quare Jeremias ubi monet bonos à signis cœli, ita loquitur. *A signis cœli nolite timere quæ metuunt Gentes mali. Timorem*

morem



morem faciant ea facientibus suis. In terra faciunt Cometas, ignes, columnas &c. Ex Sodoma ascendebat materia ignis in coelum. *Ascendit ad me clamor Sodomorum. Peccatum eorum aggravatum est nimis non advertunt sua peccata ascendere in coelum.* Fortè Cometas describit in Apoc. Cùm oculus Domini pingit emittentem flammam, cum ex ore ejus prodentem gladium, unde hæc? Oculi flagrant nostris peccatis, collegit ex nobis ignem, in nos refundet. Fortè & hic Cometa est oculus tuus ardens O Domine: fortè os emittens gladium, nos hæc fecimus, in nos ea vertis, & præmones. *Dedit ei significationem ut fugiant à faciè arcus.* Sed ut verbum DEI non in omni terra facit fructum ita hæc voces reales, alioquin poenitet &c. Visi & aliàs in Polonia, sed nihil mali attulerunt quia agebatur poenitentia. Visus anno 1301. & superata à Polonis Russia. Anno 1314. duo Cometae visi, coepit fides inter infideles ope Crucigerorum. Anno 1362. nihil mali attulit. Cometa grandis. Anno 1432. visus Cometa, & nihil aliud secutum præter mortem Ducis Litvaniæ Swidrigieli, qui sic Cometa mori poterat. Anno 1434. secuta mors Jagellonis Cometa, sed ferè centenarius erat senex. Anno 1475. Cometa nihil secutum. Fuit Cometa anno 1531. Fuit & Anno 1577. sed post priorem vicinus Moldaviæ Ducem: post posteriorem Moschos. Unde id? quia sciendo quòd Cometa non plus possit quàm DEUS velit, agebant poenitentiam quare facillè ibi erat divinare de bono eventu.

At modo granum cadit secùs viam, in petram, in spinas Cùm exercitum vincimus animat, jurè timemur. Stellas scriptura vocat *Militiam cæli, Custodiam*, exercitum DEUS auget, jungit Cometas stellis. Nobis videtur bellum intentari, nobis Cometa similis factus ex debili vapore, fumo. Vita nostra fumus in nobis contingò consumitur humiditas deficit. &



& Cometa. Cometa est stella falsa, lucet, sed nōn diu. Videtur aliquid cū sit vapor, quare superbis minatur: sunt in se obscuro nitere volunt per ostentationem, hypocrisim, his Cometa dicit. Videtis me, clarior sum quā Luna, sum terrori, paulō post nec locum meum in cælo inuenietis Apoc. ostentatores specie stellarum de cælo cadentium pingit. *Et visum est aliud signum in cælo, & ecce draco &c. & in capitibus ejus diademata septem, & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Draco in coronis, stellas detrahit, an ita debilitat affiræ ut non sit opus unguibus? non erant veræ stellæ, sed veluti Cometæ, vani homines, facillè dejiciuntur. Tales appellat S. Thadæus in Epist. *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones intentio eorum spuma quæ deficit.* Sed nitent, videas alium orationes longas texere, alius dat elemosynas, alius jejunit, doctus, dives, honoratus &c. Quomodo fluitus? potius stella, est stella sed falsa. Orat, sed etiam diffamat; largitur, sed est usurarius, jejunit ut videatur, docet non facit, exemplaris est sed ut laudetur. Dives sed ex raptu, honorem digniori præripuit, & eo abutitur, lucet sed ut cometa.

Vilioribus tales comparavit Isaias, misit eum DEUS ad duos Principes, hæret, dicitur ipsi. *Ne timeas à duabus caudis titionum fumigantium.* Non diu lucebunt ut titio fumigans, Fortè Propheta attulit illis titionem, videte. Modò non titio sed Cometa ostenditur, non timent qui cavent ne sint falsæ stellæ, non prodest lucere coram mundo, boni si lucent, non quærunt hoc. *Fulgebunt justi & tanquam stelle in arundineo discurrent.* Sed ut scintilla, tales se credent. *In arundineo,* recordabuntur se esse arundines fragiles. His non nocebit Cometa, non impugnat humiles sagitta, non dirigetur ad nimis exiguam metam. Cometa quasi stella, Cometa,  
 K unde



unde etiam vocatur crinita stella, ex hoc divinaretur curru Ezechiele 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & ducet eum per caput tuum, & assumes tibi stateram ponderis, & divides eos, tertiam partem igni combures in medio civitatis &c. & assumes tertiam partem & concides in circuitu ejus, tertiam vero aliam disperges in ventum, & gladium nudabis post eos, & sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallii tui.* Si capilli significabant ignem, carcerem bella: ne coma Cometæ cauda idem significat, nisi respiscamus. Jam id factum in Provinciis hujus Regni. Cauda Cometæ quasi capilli muliebres, notat degeneres à virtute Majorum mascula, vitior muliebris intrat. Nolumus audire Concionatores ut convertamus, jam ahi Concionatores ducendi usque Constantinopolim captivos nobis prædicant, pellamus aves quæ devorant in corde nostro semen verbi DEI. Vultur hic est corvus Promethei, dirumpamus vincula, pelle ipse Domine has aves.

Ut horas Index in horologio, ita Cometa ostendit nobis quid DEO debeamus. Non advertimus ubi primò comparuit Cometa, fortè DEUS abscondit ut tantò magis timeamus, Dicent Astrologi comparuisse in tali & tali signo, sed sæpè hæc divinatio fefellit. Puniet DEUS eos qui malà vità exprimunt tale signum cœli, sunt hæc modò peccata non est contractus, non est confessus absque peccato. Mittit DEUS Ezechielem ad Judæos ut illis exprobrat peccata ut convertat, dat illi modos qui penetrent corda. Imprimis jussit illum devorare librum, ut quod deinceps prædicaverit, ex intimis prædicet, deinde jubet ut in laterculo depingat Jerusalem, & circa eam obsidionem ordinet, deinde per plurimos dies uni incumbat lateri jubet, & per plurimos alteri, & interim non alio vesci pane quàm sordibus humanis infecto



infecto Juberit producere bulliens ahenum. Cur ita? quia  
 pramonuit DEUS. Populus hic fallax, dolosus, infidus ut  
 tecum, ita cum DEO agit ostendit se ejus laudatorem, audit  
 conciones in speciem, *Cum scorpionibus habitas alia versio.*  
*Quoniam spina & rebelles tecum sunt.* Nemo spinas conjun-  
 get, hæc spina sufficiant verbum DEI: cum efflorescit maxi-  
 mum est gelu, uvas acerbæ habet etsi botris similes. Hoc  
 malum invaluit, & contra illud DEUS jam non verbis uti-  
 tur, & dat signum quod nos omni modo punit. Pasim Ju-  
 dæi, Hæretici Apoc. describit quendam Cometam. *Vidi stel-*  
*lam de celo cecidisse, in terram.* Videtur Cometa, qui dum  
 deficit quasi cadit & moritur, *habebat clavem putei*, id est, re-  
 rum absconditarium sed noxiarum, quia. *Et aperuit puteum*  
*abyssi &c.* *Et de fumo putei exierunt locusta in terram, & data*  
*est illis potestas sicut habent scorpiones terre ex fumo qui abscon-*  
*derunt fidem prodierunt.* Locustæ gregatim volant & incedunt,  
 postea secum pugnant, & consumptæ loco in quo e-  
 rant, abeunt. Talia illarum sunt comitia. Ita homines & per  
 hoc consumantur pauperes, in scorpione tota vis in cauda, deest  
 caput, non incipiunt à DEO. *Et similitudines locustarum simi-*  
*les equis paratis ad prælium.* Quomodo? similitudo est pleu-  
 dopolicis, hominis boni per fortio. *Et super capita eorum*  
*tanquam corone similes auro.* Quisque jactat libertatem,  
 nullum superiorem volunt, sed hoc aurum est fictum ex stramine,  
 scintilla exurit, alii afflictæ ab illis, putant eos esse liberos  
 sed non Pagani qui eos ligant. *Et facies eorum tanquam facies*  
*hominum, species & fucus pulcher.* *Et habebant capillos sicut*  
*capillos mulierum,* cogitationes muliebres vanitas. *Dentes eorum*  
*sicut dentes leonum,* cum se invicem lacerant, cum pau-  
 perem. *Cauda scorpionum,* Cavendum nè Cometa talem  
 caudam habeat, projiciat DEUS hos scorpiones in oleum,



ut fiat medicina. Sit remedium contra injustitiam. *Mendaces Filii hominum in stateris suis.* Sed in cœlo vera statera in qua apponimur. Quales simus Christiani, Judices &c. sicut Baltasar. *Numeravit DEUS regnum tuum, appensus es in statera, Et inventus es minus habens, divissum est regnum tuum &c.* Tantum effecit apud DEUM abusus vasorum sacrorum, convivium insolens, an parceret rapienti bona Ecclesiæ, vel iis abutenti? luxui? Appendit justitias. In libra cœlesti, in una lance unus scorpionis, id est in alia alius, & modò ponderant manus, qui plus dedit ille justior. Justitia est ut semen in via, calcatur, est via ad promotiones, favores, regna quæ servant justitiam crescunt, eâ deficiente deficiunt.

Cometa non calefacit, exprobrat nobis frigiditatem in rebus DEI, propterea verbum DEI cadit in petram quæ mandat frigere. *Ab interioribus egreditur tempestas & ab arcturo frigus.* Incipit in corde frigus, nam oritur hæresis, Atheismus, Machiavellismus, inde turbæ, seditiones, quomodo amabit proximum qui non amat DEUM. Possent adhuc dici aliqua ex motu veloci vel tardo. Oremus ut Decus omnia convertat in bonum.

### Ad Afflictos.

**I**Ntravit Esther ad Assuerum, tetigit illam virgâ, dum virgam cogitas, quid malum putas, salus fuit Estheris, nisi eam tetigisset, periisset Esther. Attigit vos suâ virgâ DEUS, non aliud cogitate nisi salutem Isai. ii. *Egreditur virga de radice Jesse.* Jesse significat incendium, sed amoris Divini; inde ista virga egreditur. Cant. i. *Labia ejus distillantia myrrham.* Nimirum DEUS suos dilectos in hoc mundo labiis suis osculatur myrrham stillantibus. Dum affligit nos excolit.